



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Gregorivs Papa XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**



A terisque ecclesiasticis, & secularibus personis sub excommunicationis, suspensionis, & interdicti pœnis: ut tibi in ijs quæ ad huius Inquisitionis officium pertinere noscuntur, benignè pareant, & intendant, ac cum per te requisiti extiterint, dent per se, & alios, prout opportunum fuerit consilium, auxilium, & fauorem. Nos enim sententias siue pœnas, quas rite tuleris, ratas, & gratas habebimus, ipsaq; faciemus auctore Domino inuolubiliter obseruari, Per præsentem autem commissionem nostram nolumus nec intendimus Inquisitori aliàs per nos in dicta Prouincia deputato, in aliquo derogare, quominus idem Inquisitor officium ipsum possit & valeat sicut prius libere exercere. Dat. Arian. ix. Kal. Septemb. Pontificatus eiusdem Domini Clementis Papæ vj. Anno sexto.

Io. de Aquam. f.

GREGORIVS PAPA XI.

Scribit Dominus Papa Archiepiscopo Tarraconensi super libris Raymundi Lulli.



REGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei Venerabili Fratri . . Archiepiscopo Tarraconen. Salutem & Apostolicam benedictionem.

Data anno Domini 1373.

NUPER dilecto filio Nicolao Eymerici ordinis fratrum Prædicatorum professori, magistro in Theologia in partibus Aragoniæ Inquisitore hæreticæ prauitatis nobis referente, percepimus, quòd in partibus illis nonnulli laici, quamplures libros habent in vulgari per Raymundum Lullum ciuem Maioricen. compositos,

Vide comen. in Directorio Inquis. par. 2. super q. 26. circa finem.

in quibus ut idem Inquisitor videtur asserere, errores quamplurimi in fide continentur. Nos igitur in præmissis, prout ex debito tenemur pastoralis officij, prouidere volentes, Fraternalitati tuæ, de qua in his & alijs specialem in domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus huiusmodi libros per quoscunq; habeantur seu detineantur, tibi facias exhiberi, & si per tuam ac dicti inquisitoris, & aliorum magistrorum in Theologica facultate, & iuris peritorum, quos propter ea coram te euoces, repereris quod præfati libri errores in fide contineant, eosdem libros comburas, & comburi facias, atque mandes, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis, contradictores per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia, de quibus videbitur, appellatione postposita, compescendo: non obstantibus constitutionibus Apostolicis de vna & de duabus dietis, & alijs contrarijs quibuscunq;: Seu si eidem Raymundo vel quibusuis alijs communiter uel diuisim à sede Apostolica sit indultum, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicati, aut extra vel ultra certa loca ad iudicium euocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum apud Pontem Sorgiæ Auinionen. Diœces. Non. Iunij anno secundo.

GREGORIVS PAPA XI.

Scribit dominus Papa officialibus Episcopi Barcinonen. super quodam libro Raymundi Lulli.



REGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs Francisco Borele Priori prioratus Ecclesiæ sanctæ Eulaliæ de Campo, & Petro de Sancto Amancio hospitalario Dartibus officialibus Venerabilis fratris nostri Barcinonen. Episcopi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Data anno Domini 1374.

AD audientiam nostram fide digna relatione perducto, quòd dilectus filius Franciscus Vitalis præfati Episcopi notarius, quendam librum Raymundi Lulli in pergamenis, & Vulgari cathalanico scriptum, assignatum eidem Francisco in custodiam per vos & dilectum filium Nicolaum Eymerici ordinis Prædicatorum professorem, Inquisitorem hæreticæ prauitatis, in quo errores scripti plurimi perhibentur, apud se habet: Discretionem vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus statim visis præsentibus, absque alicuius moræ dispendio, præfatum librum ad manus vestras receptum, ad nos per fidelem, & idoneum portitorem mittere procuretis: Cauti ne vllam in his committatis negligentiam vel defectum. Datum apud Villanouam Auinionen. Diœces. iij. Calen. Octobris, anno quarto.

Vide comen. in Directorio Inquis. par. 2. super q. 26. circa finem.

GREGORIVS PAPA XI.

Articuli quidam Raymundi Lulli reprobantur, & ceteri eius libri interdicuntur, donec aliud sit per sedem Apostolicam ordinatum.



REGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Tarracon. eiusque suffraganeis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Data anno Domini 1376.

CONSERVATIONI puritatis catholicæ fidei, quæ multi nequam filij scelerati suis falsis assertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri Domini pestiferum semen zizaniæ seminant, cum ad nostrum præcipuè spectet officium, ut euellamus

Vide comen. in Directorio Inquis. par. 2. super q. 26. circa finem.

E 2 praua,